dum in eo morantur, ita formari, ut in bonos evadant Parochos; Ita Sacra Congregatio in suo decreto anni 1647. quæ eodem anno submissa est alia Iuramenti formula a priori non-nihil diversa.

Demum anno 1660. placuit SSmo D. N. piæ recor. Alexandro VII. tertiam Iuramenti formulam prescribere, quam una cum Brevi Suæ Sanctitatis, nec non declarationibus Eminentium Patrum penes nos habemus.

Et iuxta hæc mandata et declarationes dirigitur hactenus Collegium Pontificium Braunsbergen. Iuvenum quoque animi a primo ob Iuramenti prætensam gravitatem horrore iam ad se redeunt et mitescunt, quamvis enim ob prædictam causam pleno semper numero colligi non potuerint, iam tamen Divina singulariter aspirante gratia, tot admitti petunt, ut numerum præscriptum etiam excessuri sint, si omnes admissi fuerint; Ad maiorem tamen delectum inter competentes faciendum quantum experientia pluriu annoru nos docet, salua semper reverentia gravissimis S. Congnis decretis debita expedire forsan videtur, ne tam arcte et ad solos absolutos Rhetores competentiæ conditio adstringatur; sed etiam ad una Schola inferiores, salua tamen septennij mora, extendatur.